Q. D. B. V.

DE

ERGASTVLIS EORVMQVE JVRE,

Vom Recht der Zucht-Häuſer/

CONSENSU

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS,

SVB PRÆSIDIO

ELECTORALIS VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS RECTORIS,

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTHI,

JCTI, SACR. CÆS. PALAT. COMITIS, FACVLT. JVRIDICÆ DECANI ET ASSESSORIS, NEC NON PROF. CODICIS ORDINARII, CIVITATIS SYNDICI ET CONSVLIS,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES RITE CAPESSENDI

DISPVTABIT

CHRISTOPH. FRIDER. BANCK,

Grosæbrnarienſis Mansfeldiacus.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

DIE XXXI. JVLII M DCC XXXIV.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

Google

Digitized by Google

PROOEMIUM.

MIrum quidem, ſed â veritate haud alienum eſt, quod de pœnis ſcripſit CYPRIANUS *2. ad Donatum*, *a* GOTHOFREDO *in not. ad rubr. ff. de pœnis* allegatus: Ad hominis corpus unum plura eſſe ſupplicia, quam membra. Quis enim omnia pœnarum apud Gentes uſitatarum genera recenſere poterit? Vel ſolius Romanæ gentis pœnas in medium afferre, & opus & labor eſſet. Paucas ſaltim ad ſcopum meum præſentem facientes addu-

Digitized by Google

cam. Frequentes ſcilicet Romanis erant damnatio in metallum, cujus pœnæ mentio fit in *l. 46. ff. de manumiſſ. teſtam. l. 24. §. 5. de fideicomm. libert.* dein damnatio in opus metalli *l. 17. pr. de pœnis*, quæ vinculis differebat a priori *l. 8. §. 6. eod.* porro damnatio in piſtrinum *l. 1. §. 9. ff. depoſiti* & conſimiles aliæ, de quibus egregie differentem videre licet GVIDONEM PANCIROLVM *Theſaur. Var. Lect. c. 41.* In harum enim exemplum & ſimilitudinem ſuborta videntur hodierna Ergaſteria, maximo ſane rerum publicarum commodo exſtructa, de quibus nonnulla, non quidem pro materiæ dignitate, ſed pro exiguis ingenii mei viribus, quippe quas in præſentiarum mihi periclitari placet, ſum propoſiturus. Quoniam vero bene univerſa geruntur, ſi rei principium fiat decens & amabile Deo *Nov. 6. in pr.* absque cujus auxilio nihil unquam commode geri poteſt.

Digitized by Google

teſt; Ideo eundem ſupplex veneror, ut ipſe ſit principium, medium atque finis *Nov. 109. in pr.*

§. I

DE Ergaſtulis ergo brevem aliquam diſquiſitionem inſtituturum JCti VLPIANI exemplo in *l. 1. pr. ff. de J. & J.* in vocis hujus originem breviſſimis indagaſſe juvabit; ubi nemo facile erit, qui dubitet, Ergaſtuli vocem Græcis debere originem, atque a verbo ἐργάζομαι, operor, deſcendere, ſed poſtea civitate latina donatam fuiſſe; conſequenter vi primitivi ſui denotare locum, in quo fiunt atque præſtantur operæ. Ut ut autem non uno, ſed triplici fere ſenſu ejusmodi Ergaſtula accipiantur; ſcilicet vel pro taberna mercimoniis deputata, *l. 2. C. de Epiſc. & Cler. ibi: quod ex eorum ergaſteriis conquiri potuit*, vel pro officinis fabrorum atque opificum, ac denique pro locis, quibus otioſi, immorigeri, prodigi, fures, meretrices hujusque furfuris alii ad facienda opera adiguntur; ita hic ultimus ſignificatus meo potiſſimum ſcopo convenit. Neque uno ſemper ergaſtula efferuntur nomine, aliis enim ergaſteria appellantur, item ædes diſciplinares, Gallis priſons d'eſclaves, & Germanis Zucht-Häuſer, Spinn-Häuſer. *Etymologia examinatur.*

§. II.

Ut autem Ergaſtulorum indoles eo dilucidior exponatur, & evidentior appareat, illa ſic deſcribenda eſ- *Definitio Ergaſtulorum traditur.*

ſe exiſtimo: quod ſcilicet ſint ædes ſeu loca publica autoritate, ſalutis reipublicæ vel civitatis cauſa exſtructa, ut homines maleferiati a vitâ inhoneſta, ad honeſtam laboribus compellantur, eorumque malitia coerceatur. Notanter dixi 1) publicâ autoritate Ergaſtula exſtrui; Summæ enim poteſtati incumbit, in rempublicam introducere, introductamque conſervare ſalutem publicam; Jam verò Ergaſteria inſigne eſſe medium, iſtam ſalutem publicam promovendi, nemo facile ibit infitias, qui perpendit, illa ipſa eſſe pœnas & coercitiones, quibus male operati afficiuntur, ſuaque ſponte officium boni viri facere detrectantes in ordinem rediguntur, illisque anſa ulterius delinquendi præſcinditur 2) dixi Ergaſtula eſſe parata ad homines maleferiatos ad honeſtam vitam laboribus compellendos eosque coercendos; Inde enim finis eorum tam intermedius quam ultimus conſpicitur. Ille in eorum, qui contra civitatis finem operantur, correctione conſiſtit, *arg. l. 20. ff. de pœnis.* ubi JCtus PAVLVS ſigillatim docet: Pœnas in emendationes hominum conſtitui. In eo quippe haud exigua ſalutis publicæ pars conſiſtit, ut cives a via ſalutis aberrantes in eam reducantur, quod utique per Ergaſteria egregie haud raro efficitur, vulgus enim hominum neceſſitati potius paret, quam rationibus & verbis, & damnis & pœnis citius, quam reſpectu honeſti in officio continetur. Finem vero ultimum quod attinet, ille ſalutem publicam continet, ad quam omnes ſummarum poteſtatum & magiſtratuum actiones, tanquam grave ad centrum, collimare neceſſe eſt.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Evolvenda nunc quoque venit Ergaſtulorum moralitas. Ergaſtula vero in ſe fovere mali quid intrinſeci, nemo ſanus facile ibit affirmatum; cum ſint quaſi medicamenta civitatis, ſicut autem medicamenta in ſe non ſunt mala, ſed ſaltim apparenter; ita & Ergaſtula, quoniam appetitui ſenſitivo harum ædium inquilinorum non reſpondent, nec ſatisfaciunt, mala imò peſſima videntur. Omnis enim pœna ſecundum HVGONEM GROTIVM de *J. B. & P. L. 2. C. 20. §. 1.* eſt malum paſſionis; exinde tamen pœnas in ſe mali quid continere, non ſequitur. Ergaſteria humanæ potius naturæ oppido convenientia eſſe inde patet, quod pœna eidem non diſconveniat, quæ propterea infligitur, quod regula actionis a Legibus præſcripta tam ſæpe negligatur, contraque civitatis finem peccetur. Recta enim ratio omnino ſalutem publicam ob oculos habendam præſcribit; proinde & media, ſine quibus ea obtineri nequit, non reprobat: Nequit vero obtineri ſine pœnis, atque hæ ſæpius per condemnationem in Ergaſteria fiunt. Licet enim homo ſuapte natura liber ſit, indeque nec Ergaſterio, quo libertatis exercitio privatur, videatur mancipandus, attamen dum delinquit, jus, quod habet ad membrorum uſum, perdit, ſemetque ipſum libertatis exercitio indignum efficit.

Moralitas illorum indigitatur.

§. IV.

Ergaſtula ſerectūris ut jurisdictione gaudeant, neceſſe eſt. Jurisdictio autem ſecundum STRUVIUM S. C.

Perſona rectores inſentur quibus poteſtas erga-

ſtula erigendi competit.

S. C. Ex 4. *tb.* 79. 80. 81. aliosve hodie tripliciter accipitur 1) pro ipſa majeſtate ſeu ſummo imperio, vel ſpecialiter pro illis juribus majeſtaticis, quæ ſunt de legibus ſtatuendis, ac dijudicandis cauſis tam ſecularibus, iisque civilibus & criminalibus, quam eccleſiaſticis, ut & magiſtratibus ordinandis. Atque hanc jurisdictionem ſupremam reſpectu totius Romano-Germanici imperii eſſe penes imperatorem & ſtatus, â non paucis defenditur, reſpectu vero particularium rerum publicarum & territoriorum eſſe penes ſingulos ſtatus, per ſe conſtat, in quibus analogam Majeſtati poteſtatem habent, & vocatur in ſpecie jurisdictio, ſeu potius Jus & poteſtas territorialis, Landes-Fürſtliche hohe Obrigkeit 2) ſpecialius denotat jurisdictio illam, quam ſtatus imperii rurſus in ſuos ſubditos per inveſtituram vel aliam conceſſionem transferunt, poteſtatem, ſcilicet jus in civilibus & criminalibus cauſis dicendi, & quidem non adminiſtratoriam ſed perpetuam, ipſique territorio, fundo ſ. feudo cohærentem. Quo ſpectat diviſio jurisdictionis in ſuperiorem, ſ. altam, Ober-Gerichte, & inferiorem ſ. baſſam, Unter-Gerichte.

§. V.

Jus ergaſtula conſtituendi ſumma poteſtati, non vero privatis nec magiſtratibus infer. competit.

Quibus præmiſſis, concludendum eſſe reor, Jus erigendi in loco quodam ergaſtula ſummæ ſaltem poteſtati competere, nequaquam verò privatorum, imo nec magiſtratuum municipalium, nec illorum, qui ſuperiore ſ. criminali Jurisdictione gaudent, arbitrio idem Jus relictum eſſe, niſi Principis vel Domini territorialis conſenſus & autoritas acceſſerit; ſumma enim cura ſaluti rei-

Digitized by Google

reipublicæ proſpiciendi, atque ſufficientibus remediis eidem medendi, ad illum merito ſpectat, qui ſuprema in loco pollet poteſtate, cui ſoli fas eſt, nova pœnarum genera in terris ſuis ad coercendos & in ordinem redigendos facinoroſos cœteraque inutilia terræ pondera ad meliorem frugem redigenda introducendi, eaque autoritate publicâ muniendi, nec non iis, qui in terris ſuis juri dicundo præfecti, mandandi, ut hoc ipſo pœnæ genere in caſibus obvenientibus illos, qui â Legibus deflectunt, coerceant. Atqui vero Ergaſtula ad ejusmodi genus pœnarum referri, negari vix poteſt. Statutas enim â Principe pœnas magiſtratus municipalis, vel ille, cui criminalis Jurisdictio competit, ſine dubio exequi, reosque illis per ſententiam condemnatoriam afficere, non vero novas pœnas propria autoritate & inſcio principe introducere, nec criminalis Jurisdictionis vis eo ſe extendere poterit. De nobilibus vero Imperii immediatis, quin ejusmodi poteſtate ergaſtula extruendi quoque gaudeant, dubitandi ratio ſufficiens nobis non ſupereſt; multoque minori jure idem jus Civitatibus imperialibus in dubium vocari poterit, quippe quibus ſuperioritas territorialis vigore INSTR. P. W. *Art. VIII. verſ. tam in univerſalibus* notorie competit.

§. VI.

Perluſtratis modo perſonis, quibus poteſtas Ergaſteria erigendi competit; nunc ſigillatim quoque de perſonis in illa detrudendis agendum erit. Ubi in genere notandum, cujusve ætatis homines, modo doli ac *Perſona ergaſtulis includenda.*

con-

Digitized by Google

conſequenter pœnæ capaces, (quales regulariter non ſunt infantes, niſi malitia eorum ætatem ſuppleat, nec furioſi, vel mente capti) item cujusvis conditionis tam inferioris, quam ſuperioris ſive nobilioris ſtatus atque Conditionis, (cum non pauci proh dolor heroum filii noxæ dentur,) cujuscunque pariter ac ſexus ergaſtulis coerceri & includi poſſe, modo utrique ſexui peculiaris locus aſſignetur. *arg. L. 3. C. de Cuſtod. Reorum.* Nam Reipublicæ & qui curam iſtius ſuſtinet, Principis maxime intereſt, ut intuitu omnium ſuorum ſubditorum citra conditionis ſtatusve differentiam, otium, omnium malorum fomes, non ſolum tollatur, ſed etiam flagitiorum radices circumcidantur, petulantiæ fibræ revellantur, ſtirpes eradicentur, & virtutis ſemina, quantum fieri poterit, ſubſtituantur; id quod ergaſtulorum diſciplinâ omnino ſperandum, in quibus ad labores cujusque ingenio, ætati, ſexui & viribus convenientes tractari ſolent & debent, ita, ut ſi debitum & præſcriptum laboris penſum præfixo tempore non perficiant, non ſolum cibariorum tenuitate, ſed etiam fuſtibus, virgis & corporis cruciatu ad id compellantur, atque non prius dimittantur, niſi emendatioris vitæ ſigna manifeſte exhibeant, & unde honeſte vivere velint & poſſint, addiſcant, optime & graphice ita ſtatuente KNIPSCHILDO *de Civitat. Imperial. L. V. Cap. 25. n. 21.*

§. VII.

In ſpecie liberi immorigeri.

In ſpecie vero inter perſonas Ergaſterii pœna afficiendas numeramus 1) LIBEROS IMMORIGEROS, domi coerceri, atque ad officium redigi neſcios. Hoc officium

ficium, in quo conſiſtat, eleganter exponit SELDEN. *de J.N. l.7. c.2.* Idemque lex divina *Exod. 22.* & *Deut. 5.* magna cum emphaſi liberis inculcat. Ipſi JCti ethnici ex rectæ rationis dictamine ejusmodi officium liberorum erga Parentes ſummopere commendarunt; hinc pietatis præ cæteris in parentibus rationem habere debere liberos, in *l. 10. ff. de obſeq. parent.* atque fillo ſemper honeſtam & ſanctam perſonam patris eſſe debere, in *l. 9. ff. eod. tit.* legitur, qui, licet ipſe legum contemtor ſit, patris tamen conditionem exinde non amittit, *Nov. 12. c.2.* Quicunque igitur liberi tam perfrictæ frontis ſunt, ut parentibus debitam obedientiam, honorem atque reverentiam perſeveranti pertinacia recuſent, ergaſtulis omni jure & merito includi poſſunt, ubi ſpes eſt, fore, ut aliquando ad ſaniorem frugem reducantur. Neque hic judiciali cognitione ſuper cauſis, quas Parentes allegant, opus eſt, ſed ſolum, ut pater filium magiſtratui ad pœnam Ergaſtuli offerat, ſufficit, teſte LUDOVICI *doctr. ff. L. 1. Tit. 6. §. 3.*

§. VIII.

II.) Ergaſterii pœna plecti poſſunt OTIOSI. Hi *Otioſi.* enim peccant nonſolum in antiquiſſimum Dei Inſtitutum, vi cujus homini, ut in ſudore vultus pane veſcatur, injunctum eſt, ſed quoque in ſalutem publicam ſunt injurii, dum nihil prorſus ad illius utilitatem vel conſervationem ſpectans faciunt, quin potius aliorum opes devorant, nec propriis laboribus de victu ſibi proſpiciunt; nemo quippe de vento vivere præſumitur, *L. fin. C. de alim. pupill. praeſt.* Proin ANTONINI

Digitized by Google

PII laudabilis vox eſt, qui otioſis ſalaria eripiens: Nihil, dixit, eſſe ſordidius, imo crudelius, quam ſi rempublicam arroderent ii, qui in eam ſuo labore nihil conferunt. JVL. CAPITOL. *in Anton. Pio.* Præprimis itaque ab otio cives ſunt retrahendi, ad amplectendum aliquod honeſtum vitæ genus. De otio lex Regis Ægypti Amaſis habetur apud HEROD. *l. 2.* & DIODOR. *lib. 1.* qua cives ſinguli vitæ ſuæ rationem quotannis jubebantur reddere; qui probare non poterant, ſe ex prædiorum fructibus vel honeſto quæſtu vivere, aut convincebantur, otio vitam diffluxiſſe, pœnam mortis promeruerant. Quæ lex probe cognita fuit HVGONI Marchioni Brandenburgenſi, OTTONIS III. IMPERATORIS in Italia Vicario, qui otioſos in judicium ad reddendam otii & ſumptuum rationem vocavit. vid. KLOCK. *de ærar. lib. 2. cap. 102. num. 16.* Melius proinde cum iis agi nequit, qui ſpontaneos manuum ſuarum labores manducare nolunt, quam ſi illi eosdem coacti in Ergaſteriis manducare teneantur.

§. IX.

Mendicantes validi.

III.) Huc ſpectant MENDICANTES VALIDI. Quemadmodum enim illi, quos morbi, vel ætatis malum ad labores ſuſtinendos reddit ineptos, non ſunt moleſtandi per *Nov. 80. c. 5.* quin potius in Ptochotrophia & Noſocomia recipiendi atque ex ærario & publico alendi; Ita e contra validi mendicantes, qui victum mendicando potius, quam laborando quærere geſtiunt, in republica nulla plane ratione tolerandi, verum ad laborem ſerio adhortandi, & adſtringendi, huncque nihilo ſecius

cius

Digitized by Google

cius detrectantes, ſi indigenæ, in Ergaſtula condemnandi, ſin peregrini, è republica ejiciendi, ſubque pœna Ergaſteriorum ipſis reditus prohibendus, ſique revertantur, pœnæ huic illico ſubjiciendi. Pœna, quæ Impp. GRATIANI, VALENT. & THEODOSII temporibus in mendicantes validos conſtituta fuit, in *l. un. C. de mendic. valid.* continetur, quæ Lex ſepulta deploratur à DAMHOVDERO *Prax. crim. c. 110. n. 58.* qui quoque *cap. 151.* Regis Hiſpaniæ edictum recenſet, quo vagabundi mendici ad triremes poſcebantur. In optatis profecto habendum, ut cum mendicantibus dicto modo apud omnes gentes in omnibus terris & provinciis ita ageretur; tum denuo profecto, quod GOLDAST. *l. 3. Rer. Germ.* de priſcis Germaniis ſcripſit, mendicos ſcil. apud Germanos non eſſe, forſan hodie quoque gloriari poſſemus. Interea omnibus laudibus præ cœteris extollendæ ſunt ſacratiſſimæ illæ & ſaluberrimæ, quas Potentiſſimi Electores Saxoniæ multis abhinc retro annis de ejuſcemodi furfuris mendicantibus in terris Electoralibus publici juris fecerunt, Conſtitutiones, Edicta atque mandata, quæ eo ſigillatim collimant, ne ejuſmodi mendicantes in Electoratu recipiantur, vel tolerentur, quin potius ad locum, unde, intra duorum vel trium ſeptimanarum ſpatium à cujuſcunque loci, in quo vagantur, magiſtratu, ſub comminatione pœnæ Ergaſterii redire jubeantur, ac dein ſi non illico huic mandato pareant, ergaſtulo, quod Waldheimii eſt, includantur, atque ibidem ad labores deſtinatos ſuſcipiendos ſerio adſtringantur; Confer. Potentiſſ. Regis Poloniæ &

 Elect.

Digitized by Google

Elect. Saxoniæ Div. FRIDERICI AVGVSTI Erneuret und geſchärfftes Mandat wieder die Bettler, Landſtreicher und ander böſes Geſündel. ſub dato Dresdæ d. 7. Decembr. Anno MDCCXV.

§. X.

Zingari. IV. Non minus hanc pœnam merentur ſic dicti Zingari, qui propter vitam motoriam ac vagabundam Germanis nominantur Ziegeüner, quaſi ziehe einher, quoniam vagabundi ſunt homines, obſervante WEHNERO. *obſerv. pract. voce* Ziegeüner; unde vero primi orti fuerint, in tanta Hiſtoricorum nube exacte perſpici nequit. Varias opiniones adduxit LIMNÆVS *J. P. l. 9. c. 1.* hi, qui MCCCCXXVII. *d. 17. Auguſt.* Pariſiis apparuiſſe dicuntur, patriam ſuam Ægyptum inferiorem, nominarunt, quam a pontifice propter apoſtaſiam a fide chriſtiana pœnitentiæ loco ipſis impoſitam eſſe dixerunt, ut ſeptem annis hinc inde ſine certa ſede vagarentur, quod ſeptennium non modo majoribus, ſed & ſucceſſoribus conficiendum eſſet continua ſerie. Qui vero eodem ſeculo in Germania innotuerunt, appellarunt ſe quidem Ægyptios, verum vagabundos propter majorum delictum, qui beatiſſimæ virgini Deiparæ cum puero JESV Regis Herodis tyrannidem effugienti hoſpitium denegaſſent. Sed ſicut fabuloſa hæc videntur omnia, ita de hodiernis Zingaris veriſſima ſunt, quæ ſcripſit KNIPSCHILDVS *de Jur. & Privileg. Civ. Imper. L. V. C. 25. n. 25.* quod nihil aliud ſint, quam manipulus furum, & ex variis nationibus collectorum hominum ſentina, quorum multi ſunt Germani, qui ſine cer-

tis

tis ſedibus regiones peragrant, ex furtis, rapinis, chiromantica divinatione, & magicis artibus vivunt, atque ejuscemodi fraudibus victum quærunt, & mendicant. Nihil profecto obſtat, pernicioſiſſimum hoc hominum genus per condemnationem in Ergaſteria coercere, illudque a patria noſtra ſic cohibere. Sic Rex Galliæ Anno 1561. edictum promulgavit, quo omnes regii præfecti Zingaris hiſce indicare jubebantur, ut intra duos menſes Gallia excederent, idque ſub pœna mortis aut triremum. Nec non in Imperio noſtro omnis ſecuritas iisdem denegata, atque cuilibet eorundem offenſio indulta legitur in Legibus Imperii publicis, REC. IMP. *de Anno 1500. tit.* von Ziegeünern REFORMAT. POLIT. *de Anno* 1530. *tit.* 35. REC. J. SPIRENS *de Anno* 1544. *§.* 75. REFORMAT. POL. *de Anno* 1548. *tit.* 27. REC. IMP. *de Anno* 1551. *§.* 82. Idemque in Electoratu Saxonico contra eos ſancitum per MANDATVM AVGVSTEVM ELECTORALE de Anno 1579.; pluraſque alias ſanctiones recentiores.

§. XI.

Milites non laborantes.

V.) Huc porro quoque ſpectant milites ex militia dimiſſi, qui ſe otio mancipant, atque laboribus victum quærere reſpuunt. Multi enim in militia ita aſſueſcunt otio & rapinæ, ut poſtea vel ſponte aufugientes, vel dimiſſi ad labores antea conſuetos v. g. opificia ægerrime redeant, quin potius regiones pererrantes apud ruſticos prætextu militiæ ſtipem colligunt, & vel invitis extorquent. Cum autem tantis hominum malitiis non ſit indulgendum, his in republica locus non eſt

con-

concedendus, quin potius, ut ergaſteriis includantur, ſalus publica poſtulat. Quid in Imperii Legibus de hiſce furfuris hominibus conſtitutum, de eô videri poteſt CONSTITVT. IMPER. *de anno* 1555. §. und damit angeregte Vergatterung, quæ repetitur in *ord. Pol. Francof. de anno* 1577. *ſub tit.* 7. von den Herrenloſen und Garten-Knechten.

§. XII.

Decoctores. VI.) Hanc ad claſſem omni jure referuntur DECOCTORES IMPROBI, FALLITI & BANCORVPTORES. Cum enim creditores ſuos vel dolo vel inexcuſabili culpa ad paupertatem & incitas haud raro pertrahant, quid quæſo juſtitiæ eſt convenientius, quam ejusmodi nebulones ergaſteriorum pœna coerceri. Beneficio enim Ceſſionis bonorum, quo illi demum, qui injuria fortunæ lapſi, quique, quod aliorum potius, quam proprio dolo vel culpa ad paupertatem redacti, probare poſſunt, gaudent, penitus cenſentur indigni. Neque enim dolus eorum ipſis debet patrocinari, *l. 1. pr. ff. de dolo.* & fruſtra implorat beneficium legis, qui contra legem committit *arg. l. 37. ff. de minorib.* Jure communi Saxonico in uſu eſt addictio ad operas creditori præſtandas, der Schuldiger wird dem Gläubiger an die Hand gewieſen, biß er die Schuld loß arbeite. Land-Recht *lib.* 3. *art.* 39. atque tali modo in Scabinatu Jenenſi pronunciatum 1657. refert STRUVIUS *S. J. Civ. exerc.* 14. *th.* 32. At Jure Saxonico Electorali *P. II.* CONST. ELECT. *XXII.* & ORD. PROC. *Tit. XLII.* pœna Carceris, der Schuld-Thurn, ejusmodi fallitos manet; Sed cum nec

hoc

hoc remedium ad coercendas ejusmodi frequentiores Bancoruptiones ſufficiens viſum fuit, Sapientiſſimus Legiſlator Saxonicus per ſpeciale MANDATVM *de Anno M DCC XXIV. d. 7. Januar.* ejusmodi doloſos Bancoruptores infamiâ notandos, atque Ergaſterio includendos juſſit.

§. XIII.

Horum cenſui VII. etiam annumerandi ſunt prodigi, qui a præcedentibus in eo differunt, quod iſti præter bona propria aliena quoque abliguriant; prodigi vero bona propria dilacerando & diſſipando profundant *l. 1. pr. ff. de curat. furioſ.* adeoque gurgites atque voragines ſint ſui ipſius patrimonii, quod patet ex formula, qua bonis iis olim apud Romanos interdicebatur ap. PAVL. *l. 3. Sent. tit. 4. Quando tua bona paterna avitaque nequitiâ tua diſperdis, liberos tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico*, unde ipſis Curatores dari ſolent *d. l. 1. pr. ff. de curat. furioſ.* cum reipublicæ, ne quis re ſua male utatur, valde expediat, *§. 2. J. de his qui ſui vel alieni juris;* Quemadmodum vero ſemper ſententia judicis declaratoria, atque exacta cauſæ cognitio, nec non probatio prodigalitatis requiritur, antequam quis pro prodigo juridicè tali haberi queat, de quâ probatione videatur CHRISTINÆVS *Vol. I. Dec. 182. n. 27. ſeqq.* Ita judicem neutiquam peccare exiſtimo, ſi pruritum atque ſtudium diſſipationis & dilapitationes ergaſterii temporaria pœna in Prodigo ſuffocet. *Prodigi.*

§. XIV.

Delinquentes Legumque transgreſſores.

VIII) Hujus farinæ hominibus accenſentur quoque delinquentes, quibus ob crimina vel alias Legum transgreſſiones vel pœna Ergaſterii ſtatim dictitari, vel aliud genus pœnæ, quo jam ſunt v. g. vel ad mortem vel ad fuſtigationem vel relegationem condemnati, in Ergaſterii cœrcitionem ex ſonticis cauſis commutari jure poterit. Sed cave exiſtimes, tale quid in ejusmodi delictis fieri poſſe, quibus ipſo jure divino ultimi ſupplicii pœna determinata eſt, e. g. in crimine homicidii; nam nec ipſi ſummo Principi jus ita aggratiandi competit, ut homicidæ doloſo confeſſo vel ſatis convicto pœnam gladii remittere, & in ejus locum Ergaſterium ſubſtituere queat, multo minori jure judici, tale quid ut faciat, licebit. Contra vero ſi circumſtantiæ facti ita ſint comparatæ, ut de ejusmodi homicidæ inculpati dolo adeo liquido non conſtet, â culpæ tamen imputatione ſemet liberare non potuerit, quin cæteris paribus in Ergaſterium condemnari queat, nullus dubito. Quæ Ergaſterii quoque pœna in omnibus criminibus, quibus Lege humana ultimi ſupplicii pœna eſt determinata, in locum hujus a Principe ſubſtitui poteſt, ſed â Judice idem fieri nequit, ſi delicta determinatam & ordinariam pœnam habeant præfinitam. In delictis vero extraordinariam, ſeu arbitrariam pœnam habentibus nec judici poteſtas ademta cenſetur, Ergaſterii pœnam e. g. loco faſtigationis vel relegationis perpetuæ aut temporalis Reo dictitandi. Id quod e. g. in crimine furti manifeſtum eſt, ubi quidem extra omne dubium

Prin-

Digitized by Google

Princeps pœnam ordinariam laquei furi etiam qualificato ex capite gratiæ remittere, & in Ergaſtulum eundem condemnare poſſit; at verò judici idem haud permiſſum erit, quod ſecius in furto non qualificato, præſertim parvo, ſecundâ vel etiam tertia vice commiſſo, ubi pœna arbitraria ſtatuta, adeoque loco fuſtigationis, quam Reus promeruit, Judex haud raro eidem Ergaſterium dictavit, prout ex Præjudiciis Facultatis Juridicæ Hallenſ. â STRYCKIO in *Uſ. mod. ff. tit. de Furtis §. 4.* adductis manifeſtum eſt. Sane hæc Ergaſtulorum pœna ſæpenumero plus emendationis delinquentibus afſert, quam fuſtigationis, qua non raro punitos ad quælibet mala reipublicæ infligenda citra ullum vitæ emendationem inflammatos fuiſſe, quotidiana experientia ſatis comprobat; Ad confirmationem eorum quæ dicta ſunt, Rationes decidendi prælaudatorum Dnn. JCtorum Hallenſium apprime facientes huc apponere perplacet: Obwohl N. N. Wiechers unterſchiedliche Diebſtähle nach einander begangen, und ſie alſo, dem Anſehen nach, mit einer härtern Strafe beleget werden ſolle ꝛc. ꝛc. Dieweil aber dennoch dieſelbe einige geſtohlne Sachen theils in natura reſtituiret, theils auch denen Eigenthümern bezahlet, und überdem es mit derſelben eine ſolche Beſchaffenheit hat, daß, wenn ſie prævia relegatione vel etiam fuſtigatione in ihre Freyheit an andern Orten wieder kommen ſolte, ſie ihr böſes gottloſes Leben nur weiter fortſetzen, und alſo man den finem pœnæ nicht erreichen würde, dahingegen Inquiſitin in **einem Zucht-Hauſe** viel eher auf beſſere Wege gebracht, und vom Bö-

ſen

ſen abgehulten werden kan ꝛc. ꝛc. So iſt dergeſtalt zu erkennen geweſen. V. R. W.

§. XV.

Qui cautionem idoneam præſtare non poſſunt de non offendendo.

IX.) Huc denique referuntur, qui CAUTIONEM IDONEAM *de non offendendo* præſtare nequeunt, v. g. ſi quis nudis verbis incendium alicui minitetur, metusque exequendi probabiliter non deficiat, quo caſu minitans optimo jure conjici in Ergaſtulum poterit. Cum enim naturalis inter homines ſit cognatio, hominem homini inſidiari nefas eſt *l. 3. ff. de J. & J.* contra vero ipſa naturalis æquitas poſtulat, ut ſecuritas ſufficiens illi, cui minæ ſunt factæ, præſtetur, quod ſi fieri nequeat, non immerito ſecuritas per ergaſtulum minitato paratur; quo caſu illud partim pœnæ locum ſuſtinet, partim cuſtodiæ, modo minitans de minis convictus, aut eas confeſſus fuerit. Sic minitatus ſublevatur præſtatione alimentorum, quæ alias præbenda fuiſſent incarcerato, non habenti, unde alatur, ac minitanti propter labores, quos in ergaſterio interea expedit, facile poteſt præſtari victus. Idem quoque de illo dicendum, qui propter dubiam atque ſuſpectam fidem, ob quam juramentum die Urphede non ſervaturus præſumitur, cautionem de non vindicando carcere præſtare nequit; Faciles quippe ſunt nonnulli homines ad jurandum *l. 8. ff. de condit. inſtit.* hoc ſane caſu ſatius erit, in tempore occurrere, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere, *l. 1. C. quando lic. unicuique ſine jud.*

§. XVI.

§. XVI.

Uſus & effe-ctus illorum traditur.

Atque hæc de perſonis in ergaſtula detrudendis adduxiſſe ſufficiant; nunc etiam de uſu atque effectibus, quem ſtatui civili ergaſteria præbere ſolent, pauca in medium proferre licet; ſcilicet 1) conſulitur inde autoritati parentum egregie, itemque honeſtati familiarum, dum liberi pietatem parentibus debitam non agnoſcentes, inque omnis generis vitiis ſe volutantes in Ergaſtulis dediſcunt, quæ in nequitiæ ſcholis didicerunt. Deinde cives ad honeſtum vitæ genus adplicant animum, ſi tali modo cum otioſis hujusque farinæ aliis agi viderint; Exemplo enim deterriti minus delinquunt ait JCtus in *l. 6. ff. de pœnis.* Hincque ſuis laboribus juvant rempublicam, ordinaria tributa ſolvendo, quæ otio deditu minus ſolvere poſſent. Porro lues fœdorumque morborum contagia, quibus errones civitates inficere ſolent, evitantur, nec minus proditores & exploratores arcentur, qui patriæ noſtræ non raro multum periculi afferre ſolent. Pauciores ad minimum creditores ab improbis decoctoribus rebus ſuis defraudantur, dum iſti decoctores Ergaſteriorum metu a tam improbo facto abſterrentur. Mirum quoque in modum augetur Principis ærarium, non modo laboribus in ergaſteriis laborantium, verum etiam vectigalibus, quæ propter exportandas merces in Ergaſteriis confectas emptores peregrini non raro ſolvunt, ac denique evitantur incommoda non pauca a relegatis & fuſtigatis inferri plerumque ſolita, impenſisque in delinquentium executionem faciendis parcitur, alios effectus ut brevitatis ſtudio nunc omittam.

§. XVII.

Utrum Ergaſtula infament.

Cœterum cum Ergaſtulorum pœna exiſtimationem puniti propter turpe factum apud graves & honeſtos viros lædat, ſua ſponte ſequitur, ab infamiæ notâ itâ punitos vix ac ne vix quidem manere immunes; quod ſicut de infamiâ facti nobis quidem eſt extra dubium, cum hæcce pœna talia facta, quæ bonorum graviumque virorum judicio turpiſſima ut ut Legibus ſigillatim non notata cenſentur, in Regula præſupponat, qualia illam, quam modo nominavimus, infamiæ ſpeciem ſemper ſecum ferre ſolent; *L. 2. C. de dignitat. L. 13. C. de his qui not. infam. L. 39. §. ult. ff. de furt. L. 2. ff. de obſequ. Parent.* Ita ſi hæcce pœna ob facta â Legibus ſpecialiter notata alicui irrogetur, idem quoque de *Infamia juris* dicendum erit. Quæ omnia tamen ita capienda, ut Ergaſtula ipſa non *per ſe*, ſed per *Conſequentiam* ſaltem, ob turpia ſcil. facta, propter quæ hæc pœna fuit irrogata, infament; Apprime enim JCti effatum hic quadrat, ubi inquit: *Ictus fuſtium non infamat, ſed cauſa. L. 22. ff. & L. 14. C. de his qui not. infam.* Ergo nec Ergaſtula (*per ſe ſcil.*) in famant, ſed cauſa, ob quam quis in illa conjicitur; quam tamen infamiam facti virtute vitæque emendatione iterum elui poſſe ſicut res ipſa docet; ita ut de infamia juris non idem ſtatuamus, ex *L. 43. §. 4. ff. de Ritu Nuptiar.* certiores reddimur, hanc tamen Reſtitutione famæ â Principe vel Comite Palatino impetrata aboleri quoque poſſe, extra dubium eſt. *L. 7. C. de ſent. paſſ. L. ult. Cod. de gen. abolit. L. 2. §. 9. & 10. ff. de Poſtuland.* Confer. *ill.* HEINECC. *ad ff. L. 3. tit. II. §. 413. & 414.*

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Nunc etiam, ut de contrariis Ergaſteriorum nempe de dimiſſione & fuga pauca addantur, ordinis ratio poſtulat. *Contraria Ergaſteriorum recenſentur.* Iſtam ergo quod attinet, ut ut nõn facile de Jure fieri poſſe exiſtimem, ut ultimum ſupplicium promeriti iterum dimittantur; Ita e contrario illi, qui cœteris paribus ad tempus tantum in Ergaſteria condemnati, tempore præterlapſo, non immerito ex iis ſunt dimittendi. Quodſi vero ſine certo tempore condemnati, tum demum dimittendi veniunt, quando ſigna emendatioris vitæ ſufficientia ediderunt. Fugam vero ita incluſorum quod ſpectat, Literis arreſtatoriis omni, quo fieri poteſt modo, ſunt proſequendi, & ſi iterum deprehendantur, gravioribus tam fuſtibus, quam laboribus pro re natâ ſunt excipiendi atque afficiendi, nec non arctius cuſtodiendi, ut aufugiendi cogitationes inpoſterum dimittant.

§. XIX.

Atque hæc ſunt, quæ pro inſtituti ratione de præſenti materia in medium proferre placuit; plura adducere temporis anguſtia prohibet, nihil amplius in votis habentes, quam ut qualiscunque hic labor in Omnipotentis Dei T. O. M. gloriam cedat benignæ ac Benevolus Lector eum cenſuræ ſubjicere haud dedignetur. *Concluſio.*

TANTUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

* * *

Digitized by Google

Digitized by Google